

verit eum virtute sua divina; deinde vers. 15, ait: « Testamentum æternum constituit cum illis, et dixit: Attendite ab omni iniquo, ut, scilicet, quasi ex pacto, fœdere pietatis et obedientiæ, felicissimo statu, tum corporis, tum animæ, et rerum omnium amplissima potestate potirentur: un minus, lux illa felicissima illis auferretur, et in supplicium tum ærumnis aliis, tum incredibili corporis et animi infirmitate afficerentur. » Deinde, commemorato hominum lapsu et iniquitatibus, quibus pactum cum Deo initum violaverunt, concludit: « Quid lucidius sole? et hic deficit. Aut quid nequius quam quod excogitavit caro et sanguis? et hoc arguetur. Virtutem altitudinis cœni ipse conspiciet, et omnes homines terra et cinis; id est, etiam sine ullo peccato aut culpa sua auferetur homini lux ista solis, quam conspiciamus, sive subeunte nocte, sive opposita umbra alterius astri: quanto igitur majori jure impiis cogitationibus quæ carnis et sanguinis sunt, auferetur lux? Cœlestis ille globus obscuratur: non obscurabitur qui ex terra factus est homo, et arguetur peccati, damnabiturque mortis, ut revertatur in terram et cinerem? Hac ipsa eadem profecto ratione ad pietatem, et jucundam ac tranquillam terræ ac luminis possessionem hortatur Baruch, cap. III, 13, quasi cum Adamo locutus. »

Porro pendent, hæc omnia a vers. 28, ubi com-

mendavit misericordiam Dei, q. d. Omnes creaturæ, adeoque sol ipse, patitur lucis defectum, ideoque ut eum instauret et conservet, eget misericordia, ope et influxu Dei: multo ergo magis eundem patitur homo peccator, qui e palude terræ quasi ranunculus prodiit, et per mortem in tenebrosam atrumque cinerem est reversurus; ideoque multo magis eget misericordia Dei, tum ut a tenebris peccati redeat ad lucem gratiæ, tum ut a tenebris mortis reviviscat ad lucem vitæ et gloriæ sempiternæ: peccatum enim est summus defectus, summa eclipsis animæ humanæ, quam nemo tollere et illuminare potest nisi æternus justitiæ sol Christus Dominus. Rursum pendent hæc a vers. 26: « A mortuo quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens, » q. d. Sicut sol dum lucet vigetque, sua luce confitetur, id est, laudat et glorificat, Deum sui auctorem; at vero cum deficit, occidit, et quasi emoritur, deficit cum luce, et obtenebrescit pariter ejus confessio, laus et glorificatio Dei: ita similiter homo vivens, tum corpore, tum anima per gratiam et spiritum Dei, laudat Deum utriusque vitæ, naturalis scilicet et spiritualis, auctorem. At vero ubi emoritur, vel naturaliter per mortem, vel moraliter per culpam, cum vita desinit pars ejus (corpus) laus et glorificatio Dei. In culpam enim pronissimus est homo, quia ipse non est aliud quam caro et sanguis.

## CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Pergit in laude magnalium Dei, celebratque ejus potentiam et misericordiam erga miserum hominem, eamque nobis imitandam proponit usque ad vers. 19. Inde ad finem varia affert documenta ethica, quæ omnia fere tendunt ad memoriam diei judicii, ut illud semper præ oculis habeamus, ad illudque nos comparemus per fugam concupiscentiarum et studium virtutum.*

1. Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. Deus solus justificabitur, et manet invictus Rex in æternum. 2. Quis sufficit enarrare opera illius? 3. Quis enim investigabit magnalia ejus? 4. Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? aut quis adjiciet enarrare misericordiam ejus? 5. Non est minuere, neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei. 6. Cum consummaverit homo, tunc incipiet: et cum quieverit, aperiabitur. 7. Quid est homo, et quæ est gratia illius? et quid est bonum, aut quid nequam illius? 8. Numerus dierum hominum ut multum centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt: et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. 9. Propter hoc patiens est Deus in illis, et effudit super eos misericordiam suam. 10. Vidit præsumptionem cordis eorum quoniam mala est, et cognovit subversionem illorum quoniam nequam est. 11. Ideo adimplevit propitiationem suam in illis, et ostendit eis viam æquitatis. 12. Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem

carne. 13. Qui misericordiam habet, docet, et erudit quasi pastor gregem suum. 14. Miseretur excipientis doctrinam miserationis, et qui festinat in judiciis ejus. 15. Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali. 16. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quam datum. 17. Nonne ecce verbum super datum bonum? sed utraque cum homine justificato. 18. Stultus acriter improperabit: et datus indisciplinati tabescere facit oculos. 19. Ante judicium pare justitiam tibi, et antequam loquaris, disce. 20. Ante languorem adhibe medicinam, et ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem. 21. Ante languorem humilia te, et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam. 22. Non impediarius orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari: quoniam merces Dei manet in æternum. 23. Ante orationem præpara animam tuam: et noli esse quasi homo qui tentat Deum. 24. Memento iræ in die consummationis, et tempus retributionis in conversatione faciei. 25. Memento paupertatis in tempore abundantiae, et necessitatum paupertatis in die divitiarum. 26. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus, et hæc omnia citata in oculis Dei. 27. Homo sapiens in omnibus metuet, et in diebus delictorum attendet ab inertia. 28. Omnis astutus agnoscit sapientiam, et inveniendi eam dabit confessionem. 29. Sensati in verbis et ipsi sapienter egerunt: et intellexerunt veritatem et justitiam, et impleverunt proverbialia et judicia. 30. Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. 31. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. 32. Ne oblecteris in turbis nec in modicis: assidua enim est commissio illorum. 33. Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, et est tibi nihil in sacculo: eris enim invidus vitæ tuæ.

### PRIMA PARS CAPITIS.

1. QUI VIVIT IN ÆTERNUM, CREAVIT OMNIA SIMUL. — Quæres, quomodo simul? nam Genes. 1 liquet ea esse successive creata a Deo per sex primos mundi dies. S. Augustinus et eum secutus Cajetanus, ex hoc loco contendit ad litteram omnia uno eodemque die simul a Deo esse creata: sex vero illos dies qui nominantur Genes. 1, vel significare ordinem creaturarum inter se, quæ scilicet prima sit, quæ secunda, quæ tertia; vel mystice esse accipiendos, tantumque significare varias Angelorum cogitationes et considerationes circa res creatas, quarum una secundum se posebat prius fieri quam altera. Ita ipse, lib. IV De Genes. ad litter. cap. xxxiii et xxxiv; et lib. V, cap. xxiv; et lib. VI, cap. III; et auctor De Mirabil. S. Scriptur., lib. I, cap. 1, qui exstat tom. III S. Augustini. Sex, inquit, dies in Genesi, in Angelorum diversa intelligentia sunt accipiendi. Verum ad litteram sex illos dies ut sonant esse accipiendos, ut per eos successive res sint creatæ, liquet ex simplici narratione Mosis, Genes. 1. Vide ibi dicta.

Primo ergo, melius alii respondent omnia simul esse creata creatione proprie dicta. Creatio enim est et dicitur, cum res producit ex nihilo, sine ulla materia præjacente. Talis autem fuit duntaxat

primo die, imo primo instanti mundi: illo enim creavit Deus cælum, terram et abyssum ex nihilo; ex illis deinde cætera omnia sequentibus quinque diebus non tam creavit, quam formavit et distinxit. Quare omne quod proprie creavit ex nihilo, hoc totum primo die creavit: primo enim die creavit omnem mundi materiam, ex qua cæteris diebus cuncta in suas species et formas effinxit, sicut figulus ex luto varias vasorum formas effingit. Ita Franciscus Suarez, lib. I De Opere sex dierum, cap. x, num. 22.

Hinc secundo, « simul, » quia primo mundi die virtute omnia simul creata sunt: nam simul factæ sunt principales mundi partes scilicet cœli et elementa, in quibus alia virtute et quasi in semine continebantur, atque ex illis postea cætera omnia facta sunt: astra enim de cœlo facta sunt, viventia vero ex aquis et terra. Ita S. Gregorius, XXXII Moral. cap. ix et x, D. Thomas I p. Quæst. LXXIV, art. 2, ad 2, Rabanus, Hugo, Dionysius, Lyranus, et alii hic.

Tertio, « omnia » genericè, id est, tam corporalia quam spiritualia, puta tam cœlum et elementa, quam Angelos, simul primo instanti creavit Deus. Ita Concilium Lateranense, C. Firmiter, de summa



Trinit. et Fide cathol. de Deo ait : « Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, et deinde humanam. » Ubi cum post *et simul* subjungat deinde humanam, indicat plane *et simul* excludere successionem, et opponi ad *postea* sive deinde, q. d. Initio temporis et mundi creati sunt Angeli et cœli, ac deinde homines; ita Suarez, lib. I *De Angelis*, cap. III, num. 9 et seq.

Quarto, « simul, » quia sub idem tempus brevi temporis interstitio omnia condita sunt, puta in principio temporis per sex primos mundi dies, inquit Ludovicus Molina *De Opere sex dierum*. Sic Genes. II dicitur : « Hæ sunt generationes cœli et terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Deus cœlum et terram; in die, » id est, in diebus, propter breve temporis intervallum. Et Marc. X : « Ab initio creaturæ masculinum et feminam fecit eos, » et tamen id factum non primo, sed sexto mundi die. Et Joan. VIII : « Ille homicida erat ab initio, » id est, paulo post initium; nam initio, id est in primo instanti, dæmon creatus est integer et justus.

Quinto, « simul, » Græce *συνεως*, id est pariter, nulla re excepta, q. d. Omnia pariter a Deo sunt creata : nihil est quod ab eo non sit creatum. Ita Jansenius et alii.

Sexto, « creavit omnia simul, » non in propriis ipsorum naturis, sed in sua sapientia et idea : simul enim omniam ideam mente concepit, ut deinde quelibet suo tempore produceret. Ita Rupertus, lib. II *in Genes.* cap. XVIII, ut *et creavit* significet actum non realem, sed mentalem : « creavit, » id est, creare destinavit, creatorum et creationis exemplar mente concepit : « Creavit, inquit, omnia simul in sua sapientia, ut unumquodque illorum in sua propria faceret essentia. » Hæc Rupertus.

Has tres ultimas expositiones affert et sequitur Gabriel Vasquez, I p. *Quæst.* LXI, disp. 224, cap. II, et Gregorius de Valentia, I p. disp. 5, *Quæst.* II, puncto 2, ad 1.

Idem Valentia, disp. 4, *Quæst.* XII, puncto 2, sub finem, *septimo*, respondet omnia simul esse creata, quia eadem fuit actio creativa omnium in Deo : hæc enim in Deo fuit una eademque simul, quæ in mundo per sex dies successive varia, imo omnia et singula produxit et formavit. In Deo enim omnia sunt unum : ideoque in eo una est actio, qua omnia producit; idque simul, quia in eodem nunc æternitatis suæ, quod in eo unum idemque semper permanet.

Octavo, Palacius : *et simul*, inquit, non significat unicum instans, sed rerum continuationem, q. d. Deus non intercedit suam operationem in creando universo, sed continenter per sex dies omnia quæ in eo sunt creavit, et sabbato requievit. Itaque sensim et continue extendebat cœlos ut pellem, *Psal.* CIII; sensim et continue faciebat arbores

suos proferre fructus, mare pisces, terram animalia et plantas.

Nono, *et simul*, id est communiter, aliqui in Græcis Roman. sic explicant, q. d. Deus creavit res omnes communes, id est profanas, si cum Creatore conferantur, qui solus usquequaque justus est. Unde sequitur, *dominus solus justificabitur*. Addunt Complutenses, *distinguens in eis sancta a profanis*.

Decimo, S. Augustinus, *De Genesi ad litter.* Imperfect. cap. VII, pro *creavit* legit, *complevit omnia simul*, quia scilicet Deus die septimo absolvit totum opus creationis. Omnes hæc expositiones sunt probabiles, præsertim primæ quinque, sed maxime genuina videtur quinta.

Primo, quia hoc significat Græcum *συνεως*, id est communiter, pariter, nullo scilicet excepto : quod proinde referendum est non ad *et creavit*, sed ad *et omnia*, q. d. Omnia simul, id est pariter, nullo excepto, creavit Deus, ita ut nullum sit ens, quod Deo suum esse non debeat, seque ab eo creatum confiteri non cogatur.

Secundo, quia idem significat alibi *et simul*, ut *Psal.* XIII : « Omnes declinaverunt simul, » id est communiter, nullo excepto. *Psal.* XLVIII, 3 : « Simul in unum dives et pauper; » et vers. 11 : « Simul (id est pariter, non eodem tempore) insipientes et stultus peribunt; » et sæpe alibi.

Tertio, quia pro *simul*, vertunt communiter Complutenses, Romana, Tigurina et cæteri.

Quarto, idem patet ex præcedentibus et seq., atque ex scopo Siracidis. Scopus enim ejus est docere, tam solem quam hominem, cæteraque omnia creata esse a Deo simul, id est communiter, pariter, ac proinde omnia omnino arguere immensam Dei potentiam, bonitatem et misericordiam; eaque jugiter indigere, ut in sua natura quam a Deo acceperunt, conserventur, suosque defectus et eclipses suppleant et restaurent. Ad hoc autem impertinens est quod simul, id est, eodem instanti temporis, omnia sint creata.

DEUS SOLUS JUSTIFICABITUR (nonnulli codices Græci legunt, *justus est*), ET MANET INVICTUS REX IN ÆTERNUM. — Hic versus pendet a præcedenti : ille enim ibi inchoatus hic expletur. Unde Tigurina vertit, *qui degit ævum* (inhabitor æternitatis), *cuncta creavit simul Dominus, qui solus est justus, nec præter eum est alius, et manet invictus rex in æternum*, q. d. Qui vivit in æternum, et creavit omnia simul, est dominus omnium, qui solus justificabitur, et manet invictus rex in æternum. Deum enim opponit soli, homini et creaturis, quod hæc omnes deficiant, peccent, mutantur, emoriantur; Deus autem perpetuo sine defectu maneat sibi similis, justus, perfectus, immortalis, immutabilis et dominans omnibus in æternum. Unde Syrus, vers. 1 et 2, ita vertit, *quis potest manifestare opera ejus, et quis metietur fortitudinem ejus? Mundus totus simul explorat, et Dominus solus justus est* (immutabiliter et essentialiter). Deus enim sicut solus habet perfectionem essentiæ, adeoque ipse e

suum et rerum omnium esse : sic et solus habet perfectionem justitiæ, potentiæ et imperii; a quo uti suum esse tenue et umbraticum, ita ei exilem suam et umbraticam justitiam, potentiam et imperium emendicant omnes Angeli et homines. Unde Complutenses addunt, *et non est alius præter eum gubernans* (vel condens, ædificans : hæc enim omnia significat *συνεως*) *mundum in palmo manus suæ. Ipse enim rex omnium in sua potentia, distinguens in ea sancta a profanis*; Tigurina, *ipse mundum disponit spithama manus suæ, cunctaque parent voluntati ipsius. Nam ipse potentia sua regit omnia, quæ in eis sancta sunt disjungens a profanis*.

Aliter explicat Palacius, nimirum *et justificabitur* hic eo sensu accipi, quo sumitur a Davide *Psal.* I, dicente : « Dele iniquitatem meam, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris, » id est, nisi miserearis poenitentium, videberis injustus, et vinceris ab his qui te talem audent judicare. At cum miserearis omnibus, solus justificaris, et invictus permanes ab his qui te judicare non verentur. Tu nota, juxta hunc sensum regis esse misereri, et invictum se servare ab his qui judicant eum esse crudelem. Hæc Palacius.

2 et 3. QUIS SUFFICIT ENARRARE OPERA ILLIUS? QUIS ENIM INVESTIGAVIT MAGNALIA EJUS. — Græce *εξεπλάσσει*, id est scrutatus est, investigavit, in præterito, q. d. Nemo plene ad fundum investigavit, aut investigare potuit vel potest, magnalia Dei; ergo nemo plane et plene ea enarrare sufficit. Tigurina vertit, *cuinam explicandi facta sua facultatem dedit, aut quis egregia ipsius facinora investiget?* Simili modo stupens et admirabundus exclamat Apostolus : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? *Rom.* XI, 33.

Quocirca S. Isidorus, lib. *De Natura rerum*, cap. XLIV : « Quis, ait, investigabit magnalia ejus? Ergo quod mortalium naturæ secretum est, hoc divinæ potentiæ relinquendum est. » Notent hoc hæretici, qui volunt scrutari mysterium Eucharistiæ; et quia illud non capiunt, negant, imperite Dei omnipotentiam ad naturæ et ingenii sui vires arctantes.

Tropologice Cassianus, *Collat.* XII, XII, pulchre docet Sanctos in se mirari opus Dei, quo ex libidinosis facti sunt casti, de gulosis sobrii, ex feris mansueti. « Quis plane, inquit, non miretur opera Dei, ac toto proclamet affectu : Quia ego cognovi quod magnus est Dominus; cum vel se, vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirtumque perspexerit, et egestate atque angustia presentium rerum etiam voluntarie perfuerentem! Ista sunt profecto mira opera Dei, quæ peculiariter anima Prophetæ, similitudine ejus mirificæ contemplationis intuitu stupefacta cognoscit. Ista sunt prodigia quæ po-

suit Dominus super terram, quæ idem Propheta considerans, ad admirationem eorum cunctos populos advocat, dicens : Venite et videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad fines terræ; arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni. » Subdit deinde majus Dei opus in Apostolorum creatione : « Quod enim majus potest esse prodigium, quam sub momento brevissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis Evangelii prædicatores patientissimos reddi, ita ut eam quam persequerentur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarent? »

4. VIRTUTEM AUTEM MAGNITUDINIS EJUS QUIS ENUNTIABIT? AUT QUIS ADJICET ENARRARE MISERICORDIAM EJUS? Græce *υπεροσ*, id est vim, robur; unde Complutenses, *fortitudinem magnificentiæ ejus quis enumerabit? et quis adjiciet vel apponet, scilicet animum, ad enarrandum misericordias vel beneficia ejus?* Tigurina, *quis vim magnificentiæ ejus percenseat? aut quis conetur miserationes ejus enarrare?* Syrus hæc omnia silentio præterit usque ad vers. 6. Præclare Jansenius : « Inter cætera Dei attributa, ait, quæ nunquam satis prædicari possunt, sunt præcipue duo in Deo stupenda et admiranda : virtus scilicet, robur ac fortitudo magnificentiæ ejus, et misericordia ejus atque bonitas; quæ duo Deo tribuuntur, cum dicitur optimus maximus. Fortitudini ejus non est adjuncta (ut fere in hominibus) crudelitas, et misericordiæ ejus non deest potentia succurrendi quibus miseretur. Fortitudo exigit ut eum suspiciamus et timeamus; misericordia, ut amemus et diligamus. » Alludit ad *Psal.* CV : « Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? » Vere Minutius Felix in *Octavio* : « Sibi solus, inquit, tantus quantus notus est. » Et S. Augustinus, lib. IV *De Genesi ad litt.* cap. VI, asserit neque ipsis Angelis notari esse divinam substantiam, sicut ipsa est sibi. Quocirca S. Dionysius, *De Divin. nomin. et De Cælest. Hierarch.*, asserit Deum et divina casto potius honoranda silentio, quam audaci temeranda eloquio, juxta illud *Psal.* LXIV, 1 : « Te decet hymnus Deus in Sion. » Ubi S. Hieronymus vertit, *tibi silentium laus Deus in Sion* : silens enim et muta est omnis nostra Dei laus. Hinc olim foribus templi inscriptum erat silentium, teste S. Chrysostomo, homil. I in I ad *Timoth.*

5. NON EST MINUERE, NEQUE ADJICERE, NEC EST INVENIRE MAGNALIA DEI. — q. d. « Magnalia » sive magnifica opera Dei adeo sunt perfecta, ut eis nihil addere liceat; eadem adeo sunt sublimia, ut eorum rationes et causas perscrutari et invenire sit impossibile. Græca habent, *non est minuere, neque apponere, et non est investigare mirabilia Domini*; Tigurina, *nihil est quod demas aut addas, nec quod pervestigas miracula Domini*. Orationes Isocratis dicuntur adeo perfectæ, ut nihil eis addi, nihil demum possit. Et Quintilianus Græcos oratores comparans Latinis : « Demostheni, ait, nihil demas, Cicero-



poni nihil addas. » Nonne hoc justius conveniat operibus Dei? Circulo, ut perfectissimo, nihil adli, nihil auferre potest: ita nec magnalibus Dei, utpote perfectis a sapientissimo operatore. Quod si unquam humanum ingenium notam inurit magnalibus Dei, causa est, quia, cum sit finitum, nequit invenire rationem infiniti consilii divini. Quocirca Psaltes, *Psal.* CXLIV: « Exaltabo, inquit, te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi. Magnus Dominus, et laudabilis nimis; et magnitudinis ejus non est finis, etc. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt. » Vide dicta *Genes.* I et II, ubi ostendi quomodo noxia quoque animalia plura commoda afferant homini totique universo.

Mystice, magnalia Dei sunt perfectionis opera, quæ adeo pulchra et perfecta sunt, ut nec homo in illis defectum, nec excessum inveniat, nec eorum decorem et excellentiam comprehendat. In his operibus cum homo consummatus videtur, tunc, ne ab adepta virtute cadat, oportet ut quasi incipiens ad primum fervorem revertatur et quasi novitius inchoet. Si vero omnino *quieverit*, et progredi ultra noluerit, tunc incipiet esse mendicus et pauper, et *aporiabitur*, id est, his quæ se habere putabat, bonis indigebit: nam impetu suorum affectuum impulsus, in pristina vitia relabetur.

6. CUM CONSUMMAVERIT HOMO, TUNC INCIPIET: ET CUM QUIEVERIT, OPERABITUR. — Ita legunt plerique codices Rabani, Lyrani, Jansenii et aliorum: quod Jansenius sic explicat, *q. d.* « Significat eum qui magnitudinem Dei et operum ejus investigare et enarrare conatus fuerit, cum omne studium eo contulerit, nihil tamen effecturum. Cum, inquit, quisquam absolvisse se putaverit investigationem et enarrationem de Deo, tum demum inveniet tantum superesse, ut quasi de novo incipiendum sit; et cum post longum laborem quiescendum sibi putaverit, quasi instituto suo bene perfecto, tum videbit sibi adhuc laborandum esse et operandum, ut quod conatur perficiat. Significat ergo, si quis hoc tentet, frustra laboraturum. » Verum pro *operabitur*, corrige cum Romanis *aporiabitur*: hoc enim respondet ἀπορησεν, id est, perplexus erit, dubius, anceps. Complutenses et Interpres S. Basili in cap. VIII *Isaiæ* vertunt, *tunc indigebit*, novo scilicet examine et scrutinio; Romana, *tunc dubitabit*; Tigurina, *incertus est, q. d.* Cum homo consummaverit scrutari magnalia Dei, et ulterius progredi non potens a scrutando *conquieverit*, tunc hærebit dubius, incertus, perplexus, quia videbit se multa non posse intelligere et penetrare. Syrus vertit, *in consummatione hominum ipsi inveniunt* (alius textus habet, *æquales sunt*), et, si *revertantur, obstupescunt*. Quo enim plus penetras, inquit Palacius, plus reliquum est penetrandum; alioqui Deus non esset, si a te comprehendi posset. Recte igitur dictum est illud: « Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata

est, et non potero ad eam. » Ita Plato: « Deum, ait, invenire non facile, intelligere impossibile est. » Rex Hiero Simonidem philosophum rogavit, quid esset Deus? Petiit ille duos dies ad respondendum; tum quatuor, ac ita semper multiplicatos. Id cum miraretur Hiero, ille respondit: « Quo plus de Deo cogito, eo res mihi videtur obscurior. » Certe cum hic consummare videbatur, tunc incipiebat.

Alludit ad *Job.* XXVI, 14: « Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus; et cum vix parvam stillem sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? » S. Augustinus, *epist.* 3 ad *Volus.*, hanc sententiam recte accommodat studio et intellectui S. Scripturæ, quia hoc est unum e præcipuis Dei operibus inscrutabilibus. « Tanta est, inquit, Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarer addiscere; non quoad ea quæ necessaria sunt salutis, tanta in eis perveniatur difficultate: sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca, intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis flagrantissimisque cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cum consummaverit homo, tunc incipiet. » Huc facit illud Menedemi apud Plutarchum *De Profectu*: Qui Athenas, inquit, ventitant, principio sibi videntur sapientes, tum philosophi; at, cum orbem scientiarum decucurrerint, omniaque consummarint, se nihil scire et omnia ignorare autumant, atque tum primum discere incipiunt.

Tropologice, multi hanc sententiam accommodant profectui in virtute, sanctitate et perfectione. Hæc enim est opus gratiæ Dei, quod finem et fundum non habet, *q. d.* Cum consummaverit homo servare mandata Dei, cum consummatus fuerit in humilitate, charitate omnique virtute, tunc incipiet dicetque cum Psalte: « Dixi, nunc cœpi; » ita Rabanus. Sic S. Antonius apud S. Athanasium, hoc suis primum dat vitæ spiritualis documentum: « Cogitate vos quotidie incipere servire Deo. » Idem dedit Barlaam regi Josaphat apud Damascenum in *Historia*. Vide Auctorem *De Salutar. documentis*, apud S. Augustinum, tom. IV: « Parvulis, ait, est *l. d. d. e.* perfectis autem viris est lugere. » Quocirca Lyranus sic exponit: « Cum consummaverit homo » investigationem de Deo, « tunc incipiet, » id est, percipiet quod est in principio; « et cum quieverit, operabitur, » id est, cum erit in senectute, quod tempus est quiescendi, ad bonum opus magis animabitur. Unde B. Franciscus sub finem vitæ dicebat

suis: « Fratres, incipiamus servire Domino; nam usque nunc parum profecimus. » Et hæc est monitio Salvatoris *Lucæ* XVII: « Cum omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; » non ergo in annis, sed in animis sita est perfectio. Is proficit et perficit se, qui semper inchoare se credit, qui ardenti incipiendi desiderio jugiter ad profectum se urget et exstimulat. Vide S. Bernardum, *epist.* 253 ad *Guarimum*.

Allegorice et anagogice, cum consummaverit homo legem Mosis, incipiet sapere legem Christi: lex enim est initium et umbra Evangelii; cum vero consummaverit Evangelium, incipiet videre Deum: lex enim ducit ad fidem, fides ad speciem et visionem, sive gratia ad gloriam, juxta illud Christi: « Qui minor est in regno cælorum, major est illo » (Joanne Baptista), *Matth.* XI. Hugo vero de Christo explicat, *q. d.* Cum Christus consummatus fuit per passionem mortis, incepit vivere per resurrectionem in gloria, tumque misit Spiritum Sanctum, quo veniente Apostoli consummati jam in schola Christi, cœperunt sapere, et ardere zelo evangelizandi.

7. QUID EST HOMO (q. d. Quam abjectus et vilis est homo præ Dei majestate), ET QUÆ EST GRATIA (Græce χάρις, id est usus, utilitas) ILLIUS (q. d. Quid utilitatis homo vilis afferre potest Deo, qui nullo indiget, estque *saddai*, id est, abundantissimus et cornucopiæ)? ET QUID EST BONUM, AUT QUID NEQUAM ILLIUS? — *q. d.* Quid potest homo Deo boni aut nequam, id est mali, inferre? quid potest Deo aut bene aut male facere? quid potest bono suo Deum juvare, aut malo suo lædere? Est antithesis; Dei enim magnitudini opponit exilitatem hominis, ut Deum extollat, hominem deprimat, *q. d.* Homo præ Deo quam parvus vilisque est homuncio! quid commodi Deo afferre potest? quid Deo boni vel mali afferre? Nec enim virtutes nostræ Deo aliquid boni, puta laudis, lætitiæ, gloriæ, addere; nec peccata, ut blasphemiam, doloris aliquid, infamiam, aut alterius mali irrogare queunt. Rursum *quid*, id est, quantum, quam exiguum est *bonum*, vel *nequam*, id est malum, hominis! quam exigua ejus virtus, sapientia, perfectio, sanctitas! quam exigua ejus ira, minæ, blasphemiam! Esto enim respectu hominis hæc gravia sint mala et peccata, tamen respectu Dei exigua sunt, imo nulla, quia nullam Deo maculam, læsionem aut dolorem afferre possunt, juxta illud *Job.* XXII, 3: « Quid prodest Deo, si justus fueris; aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua? » Unde Syrus vertit, *quid sunt homines, et quæ iactura eorum, et quod lucrum eorum, et quæ gratia eorum, et quæ malitia eorum?* Tigurina, *quid est homo, cui quis est usus ipsius? quid in eo boni est, quæve mali?*

Pathetice S. Augustinus, lib. I *Confession.* cap. V: « Quid tibi sum, inquit, ut amari te jubeas a me; et nisi faciam, irascaris mihi, et mineri ingentes miseras? » Soli orienti et occidenti Æthiopes

nonnulli diras imprecantur, ait Plinius, lib. V, cap. VIII; at soli nocere vel lucem adimere nequeunt: sic impiorum, qui atri sunt instar Æthiopum, maledicta non sentit Deus, juxta illud *Amos* cap. IX: « Numquid non ut filii Æthiopum vos mihi estis? » Vere Dionysius Carthusianus et Hugone: « Mala mea, inquit, pura mala sunt, et mea sunt; bona autem mea nec pura sunt, nec mea sunt. »

Porro *quid est bonum, aut quid nequam illius?* præter jam datum sensum varie varii explicant. Palacius *primo, q. d.* Quid est bonum aut malum hominis, id est, quantum durat ejus felicitas aut miseria in hac vita? utique parvo tempore, imo momento uno. Nam, ut sequitur, centum anni vitæ ejus si comparentur cum æternitate, sunt sicut gutta ad mare, et sicut calculus arenæ ad totum arenæ cumulum: Sic et Rabanus.

*Secundo, q. d.* O quantum erit hominis bonum, et quantum ejus malum in futuro sæculo, cum tamen ad hoc bonum et malum assequendum tam breve habeat vivendi spatium!

*Tertio, alii, q. d.* Quam pauca sunt hominis bona, et quam multa ejus mala!

*Quarto, q. d.* Quantula, quam modica sunt bona et mala, commoda et incommoda, prospera et adversa, jucunda et tristia hominis in hac vita! præsertim quia omnia non tantum in se modica sunt, sed et modico tempore durant, ut sequitur; nil ergo magnum, nil bonum, nil malum, nisi æternum. Si ergo bonum verum ambis, æternum ambi: si malum verum metuis et fugis, æternum fuge et formida.

*Quinto, q. d.* Quantum est bonum quod tibi amici conferre, quantum malum quod tibi inimici inferre queunt! utique exile et exiguum. Neminem ergo illerum, sed unum Deum ama et time, qui potest corpus et animam vel beare vel perdere in gehennam, *Matth.* X, 25. Hoc est quod ait Deus *Isaiæ* LI, 12: « Ego, ego ipse consolabor vos; quis tu ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum ita arecet? »

8. NUMERUS DIERUM HOMINUM UT MULTUM CENTUM ANNI, QUASI GUTTA (ita Romana et Græca, ὡς γόττα, id est quasi gutta; male ergo multi legunt, quasi guttæ in plurali) AQUÆ MARIS DEPUTATI SUNT: ET SICUT CALCULUS ARENÆ, SIC EXIGUI ANNI IN DIE ÆVI. — *q. d.* Vide quam modicus sit homo, et omnes res humanæ, idque disce ex modico vitæ ejus tempore, quod ut summum est centum annorum (quod spatium, ait Varro, lib. V, vocatur *sæculum* a senio, eo quod longissimum spatium senescendorum hominum habeatur), ut si qui supersint anni, mortis sint potius quam vitæ: hi autem comparati cum ævo, id est, æternitate, non plus sunt quam gutta aquæ comparata cum vasto mari, et sicut lapillus arenæ comparatus cum toto arenæ cumulo; imo longe minus sunt: nam inter guttam et mare, lapillum et arenam, est certa et definita proportio, cum utraque finita



sint: temporis vero centum annorum ad aeternitatem, utpote finiti ad infinitum, nulla est proportio. Vide ergo quam parum, imo nihil, sit aetas tua prae aeternitate. Complutenses, *numerus dierum hominis multi anni centum, irrationabili autem cuique omnibus dormitio. Sicut gutta aquae a mari, et sicut calculus arenae, sic mille anni in diebus saeculi.* Romanae legunt *ἐπιτα*, id est *exigui* (pro quo Complutenses legunt *χίλια*, id est *mille*). Unde sic habent, *sicut gutta aquae maris et calculus arenae, sic exigui anni in die aevi*; Tigurina clare, sed libere, *numerus dierum hominis centum anni, cum plurimum, nec cuiusquam ex omnibus stata est obitus sui ratio. Quantula est aquae gutta e mari sumpta, et ex arena calculus, tantillum sunt anni mille pro tempore aeternitatis.* Graecum enim *αἰών* et saeculum et aevum et aeternitatem significat. Dicitur enim *αἰών* quasi *ἄει ὄν*, id est, semper existens: talis autem est aeternitas. Syrus, *numerus vitae hominis, cum multum vixerit, centum anni, sicut ad implendum utrem ex mari, et sicut granum arenae; mille anni de mundo isto non sunt sicut unus dies in saeculo justorum.*

Hinc ergo desumpta est communis illa similitudo maris et arenae ad representandam et aliquo modo concipiendam (plene enim ab homine concipi nequit, cum sit infinita) aeternitatem; nimirum, ut eam concipias, cogita: si avicula singulis mille annis sorberet unam guttam e mari, et auferret unum arenae granum ex toto arenae cumulo, qui est in littore maris totoque mundo, quando tandem, post quot millia, imo milliones annorum exsorberet totum mare, et auferret totam arenae molem? utique auferret aliquando, sed post plurimos et homini innumerabiles annorum milliones. Gauderet Judas et damnati, si haec conditio illis a Deo daretur, ut toto illo tempore gehennae tormenta subirent, dummodo eo emenso illa finirentur. At vero illa tum needum finiuntur, quia tunc non finietur aeternitas, sed rursus incipiet, ut novum mare absorbendum, et nova arenae moles auferenda sit, et post hanc alia et alia sine fine, quia immensa et intermina durabit semper in saecula saeculorum. Quocirca aeternitatem significarunt Aegyptii per basiliscum, quia hic solus inter serpentes vi interfici non potest; quin imo tanta huic uni vis inest, ut animalia reliqua solo sibilo fuget; quo audito ferunt omnes avium cantus coerceri, fructesque et herbas non ullo morsu, sed olfactu aspectuque solo enecari. Ita Pierius *Hierogl.* 14, pag. 134.

Moraliter Hugo: «Gutta aquae maris,» inquit, notat tria, scilicet vitae breviter, inconstantiam et amaritudinem: breviter notat *quasi guttae*; instabilitatem, *quasi aquae*; amaritudinem, *quasi maris*.

Nota praepositionem *in*, quae est in Graeco *ἐν* *ἡμέραις αἰώνος*, *in diebus aeternitatis*, q. d. Quod est gutta in mari, hoc sunt centum anni in aeternitate; quod est lapillus unus inter innumeras ma-

ris arenulas, hoc sunt centum anni inter annos innumeros aeternitatis. Si guttam injicias in mare, illico mare illam sorbet et absorbet, ut nusquam appareat, quasi ipsa jam non esset, essetque nihil; injice pariter centum annos vitae tuae in aeternitatem, aeternitas illos sorbebit, illique videbuntur esse nihilum. Hoc est quod canit Psaltes *Psalm.* LXXXIX, vers. 4: «Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesternae quae praeteriit.» Et S. Petrus II *epist.* cap. III, 8: «Unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus.» Vide ibi dicta.

Hoc cogitabat Reverendissimus D. Godefridus nuper Episcopus Bambergensis, cujus haec erat gnome, qua se quasi acri stimulo ad omnem virtutem pungebat: «Omni momento sto ad ostium aeternitatis.» Omni ergo momento vivam aeternitati. Vide dicta in fine Levitici. Idem per umbram viderunt Philosophi. Unde Cicero *Tuscul.* II: «Contemno, inquit, magnitudinem doloris, a quo me brevitatis temporis vindicabit, ante pene quam invenerit.» Idem Seneca, lib. VI *Natural. Quest.* cap. XXXII: «Omnia, inquit, ferres constanter, si cogitaveris nihil interesse inter exiguum tempus, ac longum, quia finitum est.» Quod iudicium omnium Philosophorum esse asseverat idem, lib. I *De Tranquill.* cap. x: «Sic olim, inquit, philosophi haec omnia, quae sub aspectum cadunt, sive bona, sive mala sint, propter breviter vel fortiter ferenda, vel facile contemnda docuerunt.» Simonides apud Plutarchum, lib. *De Consolat.*: «Mille, inquit, et centum annorum millia cum aeternitate collata, sunt ut punctum temporis, imo ut puncti brevissima particula.»

9. PROPTER HOC PATIENS EST DEUS IN ILLIS, ET EFFUNDIT SUPER EOS MISERICORDIAM SUAM, — q. d. Quia tanta est hominis miseria, hinc sustinet eam, sublevatque immensa Dei misericordia; magna enim miseria illex est provocans magnam misericordiam. Brevitas ergo vitae nostrae sicut nos ad humilitatem, ita Deum ad patientiam excitat, ne, si statim supplicia irroget, et vitam nostram breviter reddat, et nos quos diligit, a se rejectos in perpetuum amittat. Pro *patiens est* Graece est, *μακροθύμια*, id est, *longanimis fuit*. Ita Romana; sed Complutenses legunt cum Nostro in praesenti *μακροθύμια*, id est, *longanimus est*; sic et Syrus. Similiter pro *effundit* Noster legit in Graeco *ἐκχέει*: jam legunt in praeterito *ἐπέχευεν*, id est *effudit*. Ita Romana. Complutenses legunt in futuro *ἐκχέσει*, id est *effundet*. Verum more Hebraeo per unum tempus, sive praesens illud sit, sive praeteritum, sive futurum, significantur caetera duo; effundit ergo tum in praesenti, tum in praeterito, tum in futuro, id est effundit, effudit et effundet. Significatur enim mos, consuetudo et indoles Dei semper miserentis. Unde Tigurina vertit, *propterea Deus patientia utitur in homines, et effundit in eos misericordiam suam*, q. d. Deus patiens est in tolerandis tot hominum criminibus, ne statim ful-

mine vindicte in eos detonet; idem est longanimis in exspectando, ut resipiscant; ac misericors, dum eos sua gratia praevent, incitatque ad poenitentiam, ac poenitentes in pristinam amicitiam recipit.

10. VIDIT PRESUMPTIONEM CORDIS EORUM QUONIAM MALA EST, ET COGNOVIT SUBVERSIONEM ILLORUM QUONIAM NEQUAM EST, — q. d. Vidit Deus homines a corrupta natura, et innato superbiae vitio pronos ad presumptionem, ut multa sibi assumant et praesument, audeantque Dei legem et voluntatem transgredi et violare. «Cognovit» pariter eorum «subversionem,» Graece *καταστροφή*, id est perditionem, excidium, interitum, lugubrem finem vitae quasi tragediae eorum (alludit enim ad tragedias, quae laeta habent initia, sed in caedes et funera desinunt; unde tristis hic earum finis vocatur *catastrophe*), «quoniam nequam,» id est, vaide misera, dolorosa et lugubris «est.»

Nota: *Nequam* saepe usurpatur ab Ecclesiastico, non pro impio et scelerato, sed pro *molesto*, doloroso, afflictivo. Sic Plinius, lib. XIV, cap. XX, acetum nequitiam vocat acrimoniam et mordacitatem: «Aceti, inquit, nequitiae inest virtus magnos ad usus.» Idem, lib. XII, cap. XXV: «Nequissime, inquit, gummi, quoniam ipsum quoque inhærescit.»

Sic Festus ex Lucilio vocat aurum nequam auribus, quia scilicet lædit aures suo pondere, dum eas incidit ex eis suspenditur. Sic nequam vitis vocatur a Columella, lib. III, cap. X, et nequam liber ab Ovidio, lib. II *De Tristibus*.

Porro praesumptionem graphice depingit S. Bernardus, tract. *De Grad. humilit.* in 7: «Qui alios, inquit, se praecellere putat, quomodo non plus de se quam de aliis praesumat? Primus in conventibus residet, in consiliis primus respondet, non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta, quidquid ipse non fecerit aut ordinaverit, nec recte factum, nec pulchre existimat ordinatum; iudicat iudicantes, praedicit iudicaturis.»

11. IDEO ADIMPLEVIT PROPITIATIONEM SUAM IN ILLIS (q. d. Ob tantam eorum miseriam, puta pronitatem in malum, priusquam vitam finiant, tristementemque catastrophem jam dictam sortiantur, si ad Deum redeant, ejusque gratiam implorent, plenam poenitentibus exhibet propitiationem, ut eis peccata condonet, et insuper sua gratia et iustitia eos donet, quin et idcirco), OSTENDIT EIS VIAM AEQUITATIS — per Decalogum et legem in Scriptura traditam, perque lumen tum naturale rationis, tum supernaturalis fidei et gratiae menti eorum inditum. Ubi recordare, ait Palacius, quod serpens proposuit homini cibum interdictum, promittens futurum ut essent dii. Irrepsit haec divinitatis cupiditas in animos omnium; nemo enim fere se natum ad obediendum legi divinae meditatur. Haec est hominum mala superbia. Inde in Adam facta subversio est. Quia ratio, quae summum lo-

cum habere debuit, in imo jacet; contra cupiditas, quae erat in imum dejecta, summum locum obtinuit. Ergo videns Deus superbiam hominis ex daemone natam, vidensque subversum hominem, cupiditate in eo tyrannidem exercente, miseretur tantae miseriae. O summam Dei misericordiam! Gravissimae injuriae, quae nos solent ad gravissimam iram provocare, haec illum ad summam miserationem fere compellunt.

Graeca de more concisa duos hos Latinos versus coarctant in unum hunc, *vidit et cognovit subversionem eorum, quoniam mala est, ideo multiplicavit misericordiam suam; et Syrus, quia cognovit quod finis eorum malus est, propterea multiplicavit veniam eorum*; Tigurina vero planius, ut Noster, *vidit et cognovit malam esse eorum arrogantiam animi et eversionem, propterea placabilitatem suam ampliavit, et ostendit ipsis viam aequitatis*.

Praeclare Rabanus: «Quis suffert, inquit, fragilitatem nostram, nisi bonitas Conditoris nostri, qui indignos fovet, ingratos pascit, contemptores tolerat, aversos revocat, et conversos ad poenitentiam misericorditer suscipit, et omnium peccatorum largissimam veniam tribuit? Unde quid tantae pietati condignum possumus rependere, aut quid retribuere Domino pro omnibus quae tribuit nobis, nisi hoc quod Psalmista ait: Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini inycabo? Dicamusque gratulando cum eodem Propheta: Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Misericors et miserator Dominus, patiens et multum misericors. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus. Laudem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus in aeternum, et in saeculum saeculi.»

12. MISERATIO HOMINIS CIRCA PROXIMUM SUUM; MISERICORDIA AUTEM DEI SUPER OMNEM CARNEM. — Commendavit Dei misericordiam ex sua intrinseca bonitate et immensitate, nunc eandem commendat comparando et praeponeudo eam misericordiae hominis, idque per triplicem antithesim. *Prima* est, quod misericordia hominis sit erga proximum sibi aequalem; «Dei autem sit erga omnem carnem,» quae infinite Deo est minor et vilior. *Secunda*, quod hominis misericordia arctetur ad unum alterumve proximum, id est, aliqua ratione sibi conjunctum; Dei vero misericordia se dilatet ad omnem carnem, id est, ad omne animal, ac praesertim ad omnem hominem: nullum enim animal tantam experitur Dei in se elementiam et beneficentiam, quantam homo. *Tertia*, quod homo misereatur proximi, id est, conjuncti et amici; Deus vero omnis carnis, id est, tam inimicorum quam amicorum. Simul hac comparatione incitat hominem, ut in omnes dilatet viscera misericordiae suae, tum ut Deum imitetur, tum ut ejus majorem in se misericordiam provocet et conciliet. Syrus vertit, *misericordia*